
(13

EPISTOLA PASTORALIS

AD ARCHIEPISCOPALEM

ECCLESIAM

BRUNDUSINAM.



ROMÆ MDCCCXVIII.

Typis Crispini Puccinelli apud S. Andream Ap. in Foro Valle.

Facultate Præsidum obtenta.

ANTONIUS
BARRETTA-GONZAGA
CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM
PATRITIUS NEAPOLITANUS
DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA
ARCHIEPISCOPUS BRUNDUSINUS

VENERABILIBUS FRATRIBUS, AC FILIIS IN CHRISTO DOMINO DILECTISSIMIS, DIGNITATIBUS, CANONICIS, CAPITULO, UTRIQUE CLERO, POPULOQUE CIVITATIS, ET DIŒCESIS SUÆ.

Salutem, & pacem in Domino sempiternam.

Dicente Apostolo Paulo (*I. Cor.* 1. *v.* 27.): *Infirma Mundi elegit Deus, ut confundat fortia*, mirandum non est, Ven. Fratres, Filiique carissimi, si ego, qui me dignum non esse vocari Apostolum apprime sentio, Parens, Pastorque vester sim constitutus; nam *qui mihi honoris est Auctor, ipse fiet administrationis adjutor*; &, *ne sub magnitudine gratiæ succumbat infirmus, dabit virtutem qui contulit Dignitatem*, ut ait S. Leo Magnus (*Serm.* 1. *in Annivers. Assumpt. suæ*). Hac igitur sola spe gratiæ cœlestis innixus, ne Divinæ contradicerem voluntati, quæ per Sanctissimum Dominum Nostrum PIUM VII. PONTIFICEM MAXIMUM, & per Religiosissimum Regem Nostrum FERDINANDUM I. mihi manifestata est, continuo tantum onus subire non recusavi, neque recuso.

At, quoniam spes vestra, ut vera sit, veraque omnibus appareat, vestris oportet ut sit bonis comprobata operibus; idcirco vos non pigeat, animo benevolenti, nonnulla excipere, quibus nunc

per

per hanc Epistolam vos alloquor, ut in die justi, tremendique Judicii DEI verba Redemptoris nostri merito usurpare possim: *Quos dedisti mihi non perdidi ex eis quemquam.*

Vobis itaque in primis sermonem facio, Venerabiles Sacerdotes omnes, vosmetipsos admonendo, ut semper præ oculis habeatis vos esse *in Sortem Domini vocatos*; & propterea de vobis potissimum ab Apostolorum Principe dictum accipimus: *Vos Genus electum, Regale Sacerdotium, Gens Sancta* (*Epist.1. c. 2. v. 9.*). Vestrum hinc erit animadvertere, qua morum gravitate, qua prudentia, qua doctrina, qua vigilantia, & sollicitudine, quave caritate omnes, pro suo quisque ordine, & dignitate, Sacris adesse debeatis, & Christi ovium curam habere, illas pascendo, & hortando, illas a lupis incolumes servando; &, si quas invenietis ab ovili aberrantes, ad ovile ipsum revocando, ipsius Christi imitatores effecti, qui animam suam posuit pro ovibus suis. *Considerare enim debent Sacerdotes*, (*ait S.Cyprianus Epist.56. ædit.Pamelii*), *idcirco se quotidie Calicem Sanguinis Christi bibere, ut possint & ipsi propter Christum Sanguinem fundere.*

Præcones Verbi Dei meminerint, *labia Sacerdotis*, juxta Isaiam, *uti argentum septuplum purgatum*, *esse oportere*. Meminerint pariter illud Apostoli, *Verbum Dei non esse alligatum*; & illud tandem Regii Psaltes: *Peccatori dixit Deus: quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Qui enim alios de peccatis arguit, ipse a peccato debet esse alienus, ut ait S. Isidorus Hispalens. Episcopus (*Lib.2. Officior. ad S. Fulgentium, Cap. V.*)

Ministri Sacramenti Pœnitentiæ, vos moneo cum præclarissimo Ecclesiæ Lumine S. Augustino, ne, *uti Poenitentium Patres*, *oderitis hominem propter vitium*; *neve*, *uti Judices*, *ametis vitium propter hominem.*

Ad vos singulariter sermonem meum convertens, Dignitates, & Canonici Metropolitanæ Cathedralis Ecclesiæ, in memoriam vestram revoco, curam vobis demandatam psallendi Divinas Laudes in Choro, esse Angelorum officium. Ad ipsorum igitur dignitatem evecti, ipsorum pariter erga Deum obsequium, & reverentiam in tam honorifico Officio perfungendo imitemini. Mementote pariter, Senatum vos esse Episcopi. Vestrum sit ergo, quantum in vobis est, mihi consulere, mihique prospicere. Quamvis autem dignitate

tate præfulgeatis; tamen videte ut non sitis tamquam dominantes in Cleris; sed *facti forma gregis ex animo*, illud Evangelii servate: *qui major est in vobis, fiat sicut minor, & qui praecessor est, sicut Ministrator*.

Vobis autem Parochis, pietati, caritatique vestræ innixus, dicam tantummodo: Vos proprie esse Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum DEI. Propterea vigilate assidue, pondus diei, & æstus alacriter sustinentes in Domino pro grege mihi commisso, vestræque curæ concredito, ut in adventu gloriæ Magni Dei fulgeamus omnes, quasi stellæ, in perpetuas æternitates.

Neque vos hic prætercam, Venerabiles Religiosorum Ordinum Asseclæ, qui perfecta Sanctorum Patrum Vestrorum documenta sequuti, eorumque vestigiis inhærentes, maximo, tam christianæ, quam civili Reipublicæ, ornamento, & utilitati semper fuistis, & estis. Manete, quæso, in Vocatione, in qua vocati estis; ite de virtute in virtutem, neque gravemini unquam auxiliarias mihi præbere manus in Pastorali Ministerio, ut grex mihi commissus ad saluberrima pascua perducatur.

Adolescentes Clerici Seminarii Alumni, Vos mihi carissimi, immo pupilla oculi mei, serio recogitate, quod tanquam novi Samueles in Domum Domini convenistis, ut, quasi novellæ plantationes in juventute vestra, ad omnem pietatem, doctrinamque informemini. Numquam igitur memoria vobis excidat, quod *in malevolam animam non intrabit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis* (*Sap. I. v. 4.*) Idcirco fugite, precor, veluti a facie colubri, si quid sese vobis offerat, quod animarum vestrarum candorem vel leviter etiam inquinare possit; *Vita namque Clericorum Liber est laicorum, ac languescit Sæcularium pietas ubi vita Clericorum non splendescit* (*Synod. Turon. Ann.* 1533., & *Synod. Venet. Ann.* 1592.)

Quo nomine vos appellem, Virgines Deo Sacræ? Vos certe pretiosa monilia, Lilia Convallium, ut bonus odor Christi florescitis in mysticis Vineis Engaddi, & in hortis conclusis. Servate ergo fidem veram, atque perfectam Christo Domino Sponso immaculato, qui vos sponsavit in fide, in justitia, in misericordia, & miserationibus; eique arctiore caritatis vinculo adhærete.

Ad vos etiam venio, Optimates, & quotquot estis altioris ordinis inter populum. Memores estote, ut ait Spiritus Sanctus,

(*Pro-*

(*Proverb. XIX. v.* 17.) quod *fæneratur Domino qui miseretur pauperis*; *& vicissitudinem suam reddet ei*. In Sæculo vivite juxta Evangelium; & gratiam Fidei nolite in vacuum recipere, ne de vobis dici possit, Christianorum habere nomen, non facta.

Vobis tandem, quotquot estis, Filii in Christo dilectissimi, cujuscumque ordinis, & conditionis, ex toto corde dicam: Deum colite, et super omnia diligite; qui enim non diligit, manet in morte. Potestati insuper subditi sitis; *omnis enim Potestas est a Deo*, ait S. Paulus; *& qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Mutua sit in vobismetipsis Charitas, nedum benefaciens, sed illa etiam Christianorum propria, *patiens* nempe: hinc, si inter vos, quod Deus avertat, occasione præteritarum vicissitudinum, lites, rixæque quoquo modo irrepserint, cessent omnino; sitque omnium vestrum cor unum, & anima una. Parentes, timore Dei filios vestros educate, & nolite ipsos ad iracundiam provocare. Filii, parentes honorate, & quidem, ut ait Angelicus Doctor, *honore*, *amoris*, *obsequii*, *& obedientiæ*.

Ut autem hæc mea ardentissima vota prosperum sortiantur effectum, Cælitum præsidium invocemus, & præsertim potentissimæ Advocatæ Nostræ Virginis MARIÆ Immaculatæ, Spei, Salutisque nostræ, ac sanctorum Patronorum, & Titularium Nostræ Metropolitanæ Ecclesiæ, totiusque Archi-Diœcesis.

Assidue, & ferventer JESUM CHRISTUM Dominum Nostrum sine intermissione deprecari studeamus pro ejus mystica Navicula Ecclesia Catholica fluctibus feri maris undequaque agitata, & pro ejus Sapientissimo in terris Gubernatore PIO SEPTIMO Pontifice Optimo Maximo nunquam satis commendando, & pro Religiosissimo Rege Nostro FERDINANDO, totaque Regia FAMILIA, ut iis fausta omnia proveniant, eisque mittat Dominus auxilium de sancto, & de Sion tueatur eos. Oremus insuper pro Eñio, & Rñio Viro D. Michaele Episcopo Albanensi S. R. E. Cardinali De-Petro, qui, Manuum Suarum impositione, & Sacra Unctione, me, de Apostolico Mandato, Archiepiscopum consecrare dignatus est.

De cætero, cum Apostolo loquar, *Fratres*, *gaudete*, *perfecti estote*, *exhortamini*, *idem sapite*, *pacem habete*; *& Deus pacis*, *& dilectionis erit vobiscum*. *Salutate invicem in osculo sancto*. En Spiritus Religionis Sanctæ, & immacula-

tæ,

tæ; in qua nati sumus, & vivimus: Utinam a multis melius cognosceretur!

Gratia Domini Nostri Jesu Christi; & Charitas Dei, & Communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus Vobis. Amen.

Datum Romæ extra Portam Cœlimontanam ipsa meæ Consecrationis die, (*vigesimaoctava Mensis Junii Anni* 1818. *Dominica VII. post Pentecostes recurrente*), in augusto S. Andreæ Apostoli Templo solemniter peractæ.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apost. Magistro.

Candidus M. Frattini Archiep. Philipp. Vicesg.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Dominicus Piazza Ord. Præd. Magister, et Soc. Rev. P. Mag. Sacri Palatii Apost.